Łopacki Andr. Pat. et Eloqu. Aud. Charitonologia sive Gratia recognita.

CHARITOMOLOGIA
Siue
GRATIA RECOGNITA.

Quam

ILLVSTRIS^MO & REVERENDIS^MO
DOMINO,

D. ANDREÆ LIPSKI,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
DVCI SEVERIÆ,

In primo Celsit: suæ ad Episcopatum Crac: aduentu.

ANDREAS LIPSKI, Philosophiæ & Eloquentiæ in Academia Crac: Studiosus,

Æternùm memori animo, semper officiosa

Tametsi impari ob tantam in se pietatem voluntate:

229.

Mæcenati suo & Patruo Amplissimo, luce, palàm, libenter, non dissimulanter:

Non quàm merita in se diuturna requirant, sed quàm ingenii tenuitas permittat:

Intimo sensu, debito affectu, etiam vitæ deuotione, Litat & Consecrat.



CHARI-

CHARITOMOLOGIA.

CVM præclariſsimum ob magna & diuturna in Rempub. merita, in hoc primo ad Tuam Epiſcopam aditu, Sereniſsimi Regis voluntate, omnium communi aſſenſu, & tàm frequenti gratulantium comitatu accipis teſtimonium, Illuſtriſſ. Dñe: Tuus tot beneficiis cliens, fortuna pupillus, nexu liberali manceps, ad complectendum ſuum acurrit Mæcenatem, tantò officioſior quàm cæteri, quantò munifica Tuâ adſtrictior voluntate. Vtinam verò quantùm Tibi in me omni genere meritorum cumulatiſsime proſequendo, fuiſſet voluntatis, tantùm mihi in prædicanda hac inſigni beneficentia foret facultatis; efficerem profectò vt omnes intelligerent, me poſtquam nè minimam partem benignitatis Tuæ mihi à primis annis magnopere cognitæ adæquare potuiſſem, nihil tamen aut inficiando tollere, aut diſsimulando præterire voluiſſe. Etenim ſi pietatis iuſtum atque neceſſarium requirit à quopiam officium, vt illi plurimùm obſtringatur, cuius beneuolentiam liberaliter & comiter aliquandiu explorauit; quo me tandem animo oportuit eſſe in eum, cui vitam etiam debeam maximis eius in

me officijs ſuſtentatam. Sed quæ ſunt meæ partes autoritatis tantæ quanta Præſuli omnibus in Repub. honoribus, iam pridem florentiſsimo, qui gloriæ & fortunæ ſuæ amplitudinem, meæ infirmiori ætati, atque adeo neceſsitati condonarit, ſufficiat exornando? Si pauca dixerò non mediocriter ſubuereor, nè non ſatis eius in me præſtantem & notam benignitatem videar intellexiſſe: quod ſi verboſiori aures Tuas non niſi doctis aſſuetas ſermonibus obtundam dictione: nè meæ apud Te tanto ſpatio conquiſitæ gratiæ parùm conſuluiſſe. Quid enim Præſulis neceſsitatibus publicis impenſo abutar tempore? quid tàm honorificè frequentiſsimo circumſeptum comitatu, plauſu conſalutatum publico, templorum amæno, & renidentè acceptum cultu, vrbis è ſuis propè ſedibus effuſæ læto exceptum affectu, amplius interpellem? tàm expreſſis omnium ſtudiis atque officiis, vel ad celebritatem mea ſolitudine, vel ad dignitatem dictionis infirmitate quicquam apponam? aut ingenij culpa, non obſcurè, nec latenter expreſſum & conſignatum in omnibus ad Te omni honore proſequendum, humanitatis & beneuolentiæ ſignificationem, vt imminuam? Tametſi hanc mihi formidinem, & pudor quem mihi natura attribuit, & Tua præſtans Illuſtriſſ. D. Natura, & beneficentiæ frequens in me recordatio, & hæc Tui aduentus inſignis celebritas inijciat; ſupplex tamen

poſtulo

postulo vt nè me tàm idoneo tempore, tàm præclara Tui animi promerendi oportunitate, ab hoc quantumcunque sit in Te pietatis officio secernas. Cur enim cæteris aditus ad Te omnibus officiis prosequendum pateat, mihi cui ipsa grati animi contestatio eam imposuit necessitatem sit interclusus? Quid verò Tu in me magna congereres merita, illustria animi inclinatissimi patefaceres indicia, voluntate, studio, prosequereris beneuolentissimo; ego nihil istiusmodi quo cultu, qua veneratione, tantam complectar beneuolentiam, ostendam? Quid tandem existimas de tot præstantissimis viris, quorum studiis celebrari & ornari primum Tuum ad Episcopatum Crac. aduentum vides, quo loco, quo numero eum habituri: qui admissa ingratitudinis noxa, omnium officiorum necessitatem diremisset. Quod ad tempus Tuis animus obnoxius beneficiis reseruabitur, si in hoc splendido officio deseruerit? si non aderit? si nihil adiuuabit? Quapropter à Te Illustriss: Dñe supplex postulo, noli me quem hactenus prolixè & cumulatè, pro Tuis maximis in me meritis ornare solebas; núnc isti aut obiicere inuidiæ, aut dedere suspicioni, vt si nihil quod ad Tuam promerendam pertineat beneuolentiam fecero, beneficiorum Tuorum magnitudinem, aut non sensisse vt amens, aut non satis vt impius videar expendisse. Non deerunt quibus ingenium limatius,

acumen perſpicacius, dicendi facultas vberior eſt, (tametſi ad tuam gloriam & commendationem, quam à Te ipſo nactus es nihil addi poſſe videatur) qui ſummis contendant ingenij opibus, Tuarum virtutum merita in Regno illuſtria, ad æternitatem prorogare & conſecrare: mihi ſatis erit non verborum amplitudinem, quàm meritorum Tuorum in me fouendo magnitudinem cogitare: idq; ſentiendo copioſiùs quàm loquendo. Magna illa ſunt & omnium prædicatione ac ſermonibus celebrata, in quibus vniuſcuiuſque copioſè efflorescere poſſet oratio, quanto labore in publicis negotiis, qua fide, qua induſtria, qua celebritate, quanto & quali conſilio, in tuendo, conficiendo, prouidendo, communi bono verſarêre: ſed tamen nè pietati potius Tibi debitæ, quàm veritati videar ſeruiiſſe, nec ad ea quæ ſumma ſemper in Te fuiſſent, audeam per ætatem aſpirare; qualis Tu in Rempub. fuiſſes, iam in omnium animis & ſenſibus inſedit atque infixum eſt ad memoriam ſempiternam: qualis in me extitiſſes, tàm commoda oportunitate non fuit reticendum. Vt cùm Tu benefico animo in me tot modis proſequendo, non mediocrem gloriam merearis, aliqua etiam ad me ex Tuo de me iudicio grauiſſimo, iucunditas conſequatur.

Quocunque mentis meæ reflecto oculos, ſemper mihi Tua Illuſtriſſ. Dñe obuerſantur & occurrunt promerita

merita, atque ita grata memoria pectus effodiunt, vt vitam Tibi debeam, à quo illa ipsa multis ærumnis infesta, ad hoc vsque tempus honorificè fuisset propagata. Nam quoad maximè temporis acti spatium recordâri possum vltimum, inde vsque repetens, Te mihi video Ducem, & autorem, ad omnia quæque cum ætate speranda extitisse. Quid enim mihi superfuisset reliquum, cui ætate adhuc valdèquam imbecilla, ac pene puerili natu, acerbitas fortunæ, erepto ante ætatem patre, animum mærore, domum solitudine, & graui confecisset orbitate: nisi Te in illo orbitatis naufragio, & calamitosa post amissum patrem iactatione, quasi portum & perfugium tutissimum Dei benignitas obtulisset? Tu me ex illa tempestate collegisti, Tua in me reficiendo omnia consilia, dicta, facta, præclarissimè sunt versata: Tu me in luctuosa afflictæ & oppressæ Domus ruina, indulgenter graui calamitate circumuentum accepisti: vt patrem quem mihi necessitas conditionis mortalis maturiùs paulò sustulisset, Tua præstans semper in me voluntas, eundem propè reddidisse videretur. Etenim cùm per ætatem nondum crudelitatem illius funesti casus intelligere perfectè potuissem, ita magnoperè ad sensum & memoriam Tua in me singularis promanabat benignitas, atq; animum tenerum iucunda prolectabat oblectatione, vt patre caruisse non viderer, qui paternam in amplissima

plissima tua conquiescens beneuolentia, solicitudinem non desiderarem vnquam. Et quidem tàm perspicuæ in me placabilitatis, quoties subit grata recordatio, non mediocrem exinde capio voluptatem, cui sub illud tempus cum omnes aduersitates in me incurrisse de industria viderentur, honore, virtute, rebusq́; præclarè in Repub. gestis, florentissimus Patronus contigisset. Cúm verò magna quædam sint, & incredibilia Tuæ in me beneficentiæ argumenta: illud tamen maximum & propè infinitum quiddam est, quod Tuo iudicio grauissimo, & prudentia, dignus rudibus adhuc illis annis, & tantam benignitatem non capientibus, dignus viderer, quem plùs Patriâ prosequerere caritate. Quid enim in me fuit quod Te ad me ita liberaliter, & honorificè habendum inuitaret? quæ spes de me Tuum mihi adiungeret & conciliaret animum? an cognatio, an domestica necessitudo? Norunt & intelligunt probè qui Tuam explorarunt naturam, quod non genti, quàm menti, non sanguini sed virtuti, non Familiæ quàm probatæ alicuius industriæ, non necessitudini, quàm probitati, plus semper concedas. In me autem quæ túnc fuit aut esse per imbecillam ætatem virtutis maturitas potuit? quæ tàm nota industria, iuueni cuius ætas alieno & auxilio & consilio esset confirmanda? quæ cogitata ratio, vt Tuam in me exprimeret beneuolentiæ significationem? Et

tametsi

tametsi in primo illo viuendi tyrocinio cùm aliquid ratio dispicere cœpisset magno mihi studio & peruigili contentione laboratum esset, nè illa præstantissima virtutum à maioribus in me impressarum semina, deside & languente animo obruerentur; hæc tamen infirmiora erant, quàm quæ mihi viam ad Tuam beneuolentiam singularem communirent. Cùm igitur nihil eiuscemodi à me profectum foret, vt me tot nexibus præstantissimæ beneuolentiæ adstringeres: clementiæ Tuæ fuit, vt eum omni præuenires affectu, qui ad tanti Patroni gratiam, nullo propè aut modico suffragio niteretur. Succesisti pupillo Tutor beneficus, quem ætatis & consilij infirmitas, cuiuis aduersitati & iniuriæ proponeret; qua fide, quo studio, quàm inclinatissima voluntate, probè scio: cùm nullum propè punctum temporis vacuum fluxisset, à Tua in me tuendo cogitatione. Et profectò præclarè mecum fortunam egisse existimaui, quæ mihi diuinitùs Patronum, honore, existimatione, in Repub. facilè Principem obtulisset, in quo colendo cùm mihi patriam constituissem sanctitatem, tùm ad eius singularem dignitatem, animum tenerum, vel ipsa præstantissimarum virtutum recordatione conformarem. Cuius enim ignauiæ fuisset tàm eximia in Te vno honestatis specie non moueri? tot feliciter & laudabiliter pro communi bono susceptos labores pro nihilo

tantorum in Repub. munerum circumfuſo ſplendore non inuitari? cuius ſtuporis conuerſos ad Te vnum omnium animos non admirari? nec tacita incendi ad ſimilem præſtantiam appetitione? Magnum itaque mihi fuit in hac ætate inclytam omnibus in Repub. honoribus Præſulis florentiſsimi proponi ſimilitudinem; cuius intuitu, animum ad omnia flexilem & obſequentem, virtutum præſtantiſsimarum exornarem exemplis. Et profectò plùs mihi ſemper ætate iuuenili, quæ quaſi quodam æſtu circumfertur incerta, & in ſumma rerum omnium ignoratione atque temeritate verſatur, plùs inquam mihi ad honeſtatem & virtutem maturè capeſſendam, Tua exempla, quàm cuiuſquàm præcepta profuerunt. Illa me (ne quid arroganter apud Te dicam) iucunda gloria, quam per tot laborum experimenta quæſijſti, ita ſui admiratione inflammauit, vt quod Tibi ſummæ laudi in Repub. ſemper datum eſſet, vt eam dignitatem, & boni publici caritatem, ſi minus imitatione conſequi poſsim; voluntate vt proximè accedam, in hoc mihi omnis labor, omnis induſtria, ætas omnis erit inſumenda. An verò cùm in atrijs imagines maiorum quaſi certiſſima animi incitamenta collocarentur, vt ex hoc aſsiduo domeſticorum exemplorum obtutu, iſtis expreſſis virtutum laudabilium ſimulachris, quaſi quotidianæ vitæ conſuetudinibus, ea iuuenilis ætas condiſcat

maturè meditari, quæ ſplendorem & elegantiam optimi generis poſsint redolere. Quâ me tandem cogitatione, quo ſenſu eſſe oportuit ad eum quem præſentem ſemper intuerer? cuius inſignem famam rebus pro publico bono præclarè geſtis, non obſcuris ſermonibus celebrari audirem? hæc non magna forent ex Te vno ad laudem & virtutem inuitamenta? tàm ſingulare virtutis lumen non aciem mentis meæ præſtringeret? Miltiadi illuſtrem in modum quæſita magnis trophæis amplitudo, tantùm potuit in Repub. vt Themiſtoclem qui omnia vitæ conſilia, ad gloriam & honorem referret, dies & noctes exanimaret? & magnis illis ad imitandum excitaret ſtimulis, & quietum nunquam conſiſtere pateretur, priuſquàm induſtria conſimili ad publicam notitiam & exiſtimationem effloruiſſet. An non mihi in hac natiua generis dignitate, tot propoſitis virtutum domeſticarum ornamentis, maiori curæ eſſe debuit, nè quidquam à vetuſta maiorum dignitate deflecterem, nè quibus me naturæ & familiæ conſociauit nexus, ab illis voluntas diſtracta, & vitæ aliter inſtitutæ ratio ſecernat. Quo circà cum mihi Tu Illuſtriſſ: D. lumen tanta apud omnes exiſtimatione Princeps prætuliſti, in hoc vnum omnis ſolicitudo & cogitationes erunt conferendæ, vt hac luce clariſsima ætatem iuuenilem, quæ eſt quaſi vitæ veſtibulum, incipiam oportunè inſignire, atque

ex Tuis virtutibus tantò faciliùs prima ducere veræ laudis & gloriæ lineamenta, quantò Tu proniùs Tuæ in me benignitatis præclara patefacis documenta. Hærent tantisper infixa in animo & hærebunt memoria sempiterna, Tuæ voluntatis in me expressa & consignata indicia, tantò iucundiora quantò mihi vtiliora. Quid enim luculentiùs à Te mihi præstari potuit, quàm cùm Tuo suffragio dignus declaratus viderer cui tantam benignitatem testareris? cuius salutem atq; vitam, quæ esset in parua ætate tot casibus & periculis infestior, non solum Tua beneuolentia & præsidio texisti, sartum & tectum ab omni incommodo, detrimento, iniuria, sincerum integrumq́ue conseruasti: sed etiam quo ad consequentem ætatem munitior ex bonis artibus forem, munificè prouidisti. Atq́ue in hoc maximo & splendido beneficij genere, parentum etiam indulgentissimam naturam subiisse videris, cùm ea liberalissimè prospexisti, quæ ad honestam & ingenuo homine dignam pertinerent educationem. Tu mihi ad literas promptè capessendas adiutor, autor, hortator, extitisti; & quæ memoria, quæ vis ingenij, quæ magnitudo obseruantiæ, tàm insigni in me animo poterit respondere? Tàm singularem beneficentiam non nemo secum recognoscens, parentibus suis non modò fidelis animi grata memoriâ se teneri professus est, quod humanum & vsitatum est; sed etiam rariore,

rariore, & insigniore modo, cultu maiori, aras extruxit, sacra decreuit, quod diuinum putatur: non aliam ob causam quàm quod se literis imbuendum curassent, quarum auspicato ductu, ædificiorum extruendorum situs, magnitudines, proportiones, & omnia quæ ad scientiam architecturæ pertinerent, didicisset. Et meritò sanè pietas tanta animum viri præstantis excitauit, cùm metueret nè officiosam in se parentum voluntatem, taciturnitate inquinaret criminosa. Non enim est quidquam ita proprium hominis, quàm non modo beneficio, sed etiam beneuolentiæ significatione alligari, nihil tàm inhumanum, tàm immane, tàm ferum, quàm committere, vt beneficio, non indignus tantùm, sed etiam victus videare. Cum verò ille eximiam & multiplicem literarum necessitatem, angustis quibusdam dimensionum suarum limitibus definiuisset, tamque diffusum, & latepatentem bonarum literarum vsum, ad lineas duntaxat & proportiones retulisset: tantam nihilominus gratitudinis necessitatem impositam sibi arbitratus est; quam non nisi inusitato præstiturum se confideret officio? quo me tandem animo esse conueniet in eum, qui menti meæ, priusquàm dispexisset studiorum vtilitatem, iudicij sui grauissimi, & prudentiæ quasi lumen quoddam prætulisse videtur: & ostendisse, quæ necessitas Reipub., quis vsus eruditionis in

libero populo, & publica fælicitate, aut tuenda, aut conſeruanda habeatur. Et profectò hæc Tua in me educando ſolicitudo Illuſtriſſ: Dñe, eo apud me eſt eſſeq́ue debet loco, vt omnia quantùmuis maxima ſint, aut eſſe poſsint alicuius Tuæ in me liberalitatis argumenta, huic vni anteponam benignitati. Quid enim benè naſci cuiquam proſit, niſi eidem contingat bené educari? Credat nè quiſquam naturæ bonitatem per ſe ipſam ad virtutes ſuffecturam, niſi firmioribus inſtitutionis præſidiis communiatur? Equidem ſemper apud me ita ſtatui, quo illuſtrior naturæ præſtantia ſit, longemodò futuram deterrimam niſi acceſſerit educatio, quàm ſi vilem & inertem quiſpiam indolem nanciſcatur. An verò ingentia plerumq́ue flagitia, & profligata magnoperè improbitas & peſtilentes illi in Rebuſpubl. hominum nefariorum morbi, ex deſide aliqua & ignaua natura ad perniciem erumperent publicam? generoſam & inſignem etiam in monſtris illis immanibus oportebat ineſſe indolem, quæ nihil mediocre, nihil exile in vtramq; partem extuliſſet: quam ſi diligens & laborioſa educationis bonæ acceſsiſſet cultura, magnopere fructuoſam: ſin verò inertiæ, ſomno, cupiditati, cæteriſq́ue vitiis dederetur, maximè damnoſam publico bono expectari oportebat. Vidit hoc ille, atque in futurum veriſsimè prouidit, qui Themiſtoclis teneram formans & inſti-

& instituens indolem, magnum lumen, aut perniciem non mediocrem suæ ciuitati eundem fore contestatus. quod scilicet illa vis mentis generosæ, ille singularis, & excellens natura animus, ad omnia quæque susti-nenda erectus & comparatus, nihil abiectum, nihil moderatum, nihil populare, & contritum de illo pol-licerentur. Hoc itaque homini nobili, cuius insi-gnis ex maioribus natura non nisi ad illustrem & sum-mam contendere debeat existimationem, prouiden-dum est, vt animum ad sublimia quæque à natura comparatum, diligenti literarum assuefactione man-suefaciat: vt ex illis bonæ disciplinæ seminibus, atq; ista tanquam noualium agrorum, sic recentium ani-morum præstanti culturâ, virtutum & morum opti-morum maturè lætissimæ segetes effundantur. Vt enim pingue solum si colas fertilissimum est, si negli-gas, gramine, lolio, tribulis, & spinis inhorrescet. Ita præstantiorum genus hominum, si probè instituas optimum, si negligenter pessimum euadet. Et tam-etsi natalium virtus, magno & illustri in loco sita sit; vt absq; alienæ prædicationis lumine, in oculos omni-um incurrat, tamen illud literarum decus, quod in-dustria atq; opera cuiusquam quæsitum sit propria, plu-rimùm addit ad fælicitatem istam dignitatis. Ma-gnum semper, & ad popularem existimationem illu-stre habitum est, maiorum ostentare claritatem, tot

virtutum domeſticarum decorari; at longè eidem præclariùs futurum eſt, ſuis quoque ſplendeſcere luminibus, non fortunæ, aut naturæ, ſed ingenij & induſtriæ antecellere dignitate, atque ad maiorum ſuorum vetuſtam gloriam, literarum afferre lucem. Nam ſicut arborum illæ optimæ quæ non ſolum florem, ſed etiam fructum ferunt; ita nobilitas longè modo illa præſtantior eſt, quæ non tantùm hac natalium luce, ſed etiam eruditionis & literarum amæniore cultu niteſcit. Et profectò in eiuſmodi ætatis primæ rudimentis, magna futuræ ciuitatis iaciuntur fundamenta: vt talem neceſſe ſit reliquam duci ſubſtructionem, qualia rudiori adhuc operi, initia iacta eſſent & conſtituta. In partem publicorum negotiorum, & communis fælicitatis iuuandæ ac propagandæ vocandus, ciuibus cunctis lumen animi, ingenij, conſilij, offuſa plerumq; Reipub. nocte vt porrigat, quem in magna inſcientiæ caligine verſari contingat? ipſe animo cæcutiente grauiſsimè & turpiſsimè impingens, alijs ſe in ancipite & diſtracta via, ducem temerè profiteatur? Hoc itaque ad eximiam ſemper & præclaram Tuæ in me Illuſtriſſ. Dñe beneficentiæ teſtificationem adiungere volebas, vt me honeſtis artibus, quæ Te ipſum tantum Principem, ſapientiæ laude, eruditionis & doctrinæ fama florentiſsimum effecerunt; imbuendum curares. Quid enim abſq; literis fortunæ ſe aliquis

ceu

ceu ingenti vento credat & permittat? quem ſibi locum vel inter homines, vel in aliqua Repub. ſperet futurum? præſertim cum inſcitia brutæ naturæ cognatum dedecus, eruditio germanum rationis ornamentum. Academiam porrò tàm ſingularis in me animi & voluntatis indulgentiſsimæ teſtem eſſe voluiſti: hîc induſtriam quantacunque ſit mea, nondum robuſtam, ſed cum ætate pubeſcentem, optima diſciplina ornari voluiſti: cùm me in cætum eruditorum atque domeſticam conuerſationem dares. Etenim ſi ætas iuuenilis vitæ quaſi veſtibulum eſt, totamq́ue annorum conſequentium veluti formam quandam, & ædificationem deſignet, permultùm intereſt quales inchoationes, & qualia fundamenta, tàm nobili ſubſtructioni iaciantur. Proinde cum bonorum conuictus virtutis exercitatio eſt, improborum autem eiuſdem exitium; ita ætati meæ & infirmiori conſilio, proſpectum eſſe voluiſti, vt non ſolùm cum eruditis eodem tecto, eodem lare, & arca penaria vterer eadem: ſed etiam ab ijs, cum artibus bonis, & optimo animi & ingenij cultu, honeſtatem, moderationem, vigilantiam, frugalitatem, laborum tolerantiam, cæteraſq́; vtilitati communi condiſcerem perneceſſarias virtutes. Quî enim actiones cuiuſquam erunt rectæ, niſi voluntas vndè proficiſcantur ſit recta, & ad honeſtatis regulam exacta. Quæ porrò voluntatis rectitudo haberi poterit,

si habitus animi, ad cuius arbitrium ac nutum se componit & format voluntas, variet, & à recto probitatis cursu deflectat: quem fluctuare, & ancipitem in diuersa ferri necesse erit, nisi totius vitæ leges ab institutione perceperit, nisi virtutes & artes bonas, quasi certam viuendi regulam maturè consectetur. Plùs profuit Alexandro Macedoni assiduus Præceptoris conuictus, quam Patris amplitudo: ab illo enim animi magnitudine, rerum intelligentia, moderatione, fortitudine instructus, cumulatiorem quàm à Patre accepisset, reddidit nominis sui gloriam & fortunam. Patris erat corpus, præceptoris disciplina, facies non erat, eruditio erat pretiosa: nemo illum magis ex cultu Regio, vel habitu militari ferociore, quàm ex animo, omnibus scientiarum disciplinis perpolito æstimabat. Nec diffiteor, non recenti sed vetere iam omnes deflagrare Præceptores inuidia: quibus in hac perturbatione vitæ, morumque deprauata inclinatione, cum ingenio contumace, aut lutulentis discentium moribus, nonnunquam optato secùs euentu litigandum est. Sed quis immerentes eius accersat incommodi, postquàm intellexerit, non semper ad actiones rectas præcepta valere, sed cùm obsequens & flexile est ingenium: vbi autem mentem obsident opiniones temerariæ, aut voluntatem praui mores, & callum vsu ac die duxerint; etiamsi labore summo, &

asidui-

aſsiduitate, & ſolicitudine contrarium doceatur, confirmata & diuturna vis mali, omnem facilè eludet curationem. Cùm enim in animis hominum, cupiditates rationem anteueniant, & leniter obrepentes tenaciter adhæreſcant; ita plerumq́ue improbum ſibi vſurpant dominatum, vt nihil rationi, nihil conſilio, nihil honeſtati relinquatur. Eam ob cauſam nè quid eiuſmodi committerem, cuius facti poſtmodùm pænitentia ſubitura ſit, me in oculis, & quotidiano eruditorum conſpectu, in Academia viuere voluiſti: vt talis virorum conſuetudo, & viuendi inter literas ratio, quæ mihi ſua ſponte, & vtilitate doctrinæ iucunda fuiſſet; nunc iam mea lege, & conditione, & Tua voluntate, neceſſaria ſit futura. Hinc enim vitæ meæ conſequenti tale neceſſe eſt vt conquiram præſidium, quod nec à parentibus hæreditarium eſt, nec à caſu venit, nec ſuffragio venale, nec ætate mutabile ſit. Neq́ue hæc duntaxat ornamenta aut inſtrumenta vitæ prouidiſti, ſed etiam ab omni incommodo integrum non mediocriter es tutatus. Namq́ue hæc animi præſtantiſsima, & quouis precio maiora bona, vt potiora ſint quibuslibet fortuitis: fortunæ tamen præſidiis, & ornantur, & ſuſtinentur. Vtrumq́ue liberaliſsimè Tuo clienti præſtitiſti Illuſtriſſ: Dñe, tùm ab inſtitutione. vt nè quicquam in me deſit, tùm vt nè Patria res, & fortuna, quaſi in ſcyllæo æris alieni freto

fluctuaret. Quid potuit plùs à patre expectari, quid à fortuna cuiquam dari amplius? Pater filiis hæreditatem ita reliquerat, vt nè ſortis alienæ & quidem ſanctiſsima neceſsitudo læderetur: Tu Illuſtriſſ: Dñe inter patris affectum, & pupillorum orbitatem, & ſpem tenuem, ac iuris alterius vim & robur, ita rem conuenire volebas, vt nec de pupillorum expectatione Tuo beneficio, nec de iure alieno quicquam foret diminutum. Quo pacto Parentis etiam noſtrum optimi, non abrogaſti fidelem memoriam, dum ea defendis & conſeruas, quæ ille labore ſuo, vigilantia, parſimonia parauiſſet. Quibus officiis hæc Tua in me beneficia remunerabor? cuius omnis ratio, actio, cogitatio, nihil aliud fuit, niſi conſtans, & perpetua, in me ornando, & honeſtando voluntas. Equidem omnis ætas erit mihi impenſa ad Tua erga me prædicanda merita, atque recolenda; nullum tempus erit quo in me Tuorum beneficiorum memoria & fama moriatur: contendamq́ue pro viribus, & animo Tibi deuinctiſsimo, vt neq́ue me debuiſſe, neq́ue Te pæniteat crediſiſſe. Hæc erant cur me Illuſtriſſ: Dñe in hanc gratulantium Tibi, & dignirati Tuæ darem celebritatem. Memini optimi & nunquam reticendi filij ſingularem indolem, cui infeſta & acerba Patris fortuna linguæ perfregit & ſoluit tenacem & adſtrictum nodum; & quem inimica aduerſaq́ue natura

tacitum ac mutum reddiderat, Patris extrema necessitas, loquacem & clamosum effecit. Tantùm potuit apud inclytum adolescentem Patria caritas, vt si cætera deessent, si extincta vox, & oppressus sermo, nullum antea cuiquam præstitissent officium, reclamante isti pietati naturâ, vel ipsa lingua ad præsidium Patris innocentis vteretur. Mihi verò cùm accessus Tuus ad vrbem magna clarissimorum quorumuis frequentia honestetur, hæc splendida fortuna Tua Illustriss: Dñe, vocem ad recognoscendum & consalutandum meum Patronum non exprimeret? hæc tecta, hæc templa, hic omnium ordinum & dignitatum Tibi gratulantium concursus, mihi silentium persuaderent? Quid illi fuit tàm apprimè expetendum, quod à me hoc tempore non requiratur? Si quidem ab eo patris Regis necessitas, à me Præsulis amplissima dignitas, ab eo familiæ caritas, à me officij Tui sanctitas, mea in benefactorem pietas, par studium, eundem exposcebat affectum: præsertim cum non dissimili nexu, honor & amplissima dignitas, quàm vita cuiusquam contineatur. An si in curru triumphantium prætextati sedere solerent; vt ad quos ex tanta fælicitate victoriæ, honor non mediocris redundaret, illi debito voluptatis istius sensu nè fraudarentur; ego cum Tibi hæc pompa meritissimè decernitur,

me comitem tantæ festiuitati, tanto occurrentium & salutantium Te numero vt eximerem? Eius quem mihi benignissima natura Patruum, eximia voluntas indulgentissimum Patronum, nota in me beneficentia, velut alterum optimum & amicissimum Patrem largita esset; eius inquam præclarissimè patefactam in me voluntatem, aut aliqua contaminarem obliuione, aut omnium de me non reformidarem iudicium? Quocircà cum in eum locum adductus essem, vt vel qualis Tu mihi semper extitisses, palàm esset recognoscendum, aut officium gratitudinis repudiandum; feci Illustriss: Dñe, non ambitiosa tenuis ingenij iactatione impulsus, sed tempore & necessitate coactus, vt ea in clarissima ista hominum celebritate studiosè, quæ mihi cumulatè hactenus præstitisti profiterer. Tàm frequentes compluribus Tuam nunc promerentur officiis gratiam, ego quàm in me iam pridem declarasses, perspicuè recognosco. Quod mei muneris est, atque pridem Tibi Illustriss: Dñe debitæ necessitatis, cùm innumeros vitæ dies placidissimos, tùm etiam istum, quo anteactorum pro Repub. laborum, tot hominum consentientibus studiis, honorificum accipis testimonium, fælicissimum voueo & opto. Hoc Tibi Illustriss: Dñe de me recipio, nihil eorum prætermittam vt possim

ſim teſtatam mihi & magnoperè vtilem beneuolentiam, omnibus officiis, etiam vitæ conſequentis deditione retinere: atque tàm beneficam, grati animi conteſtatione proſequi voluntatem, à quo non ſolùm adiumenta ſalutis, ſed etiam ornamenta futuræ cum ætate dignitatis accepiſſem.

D I X I.

241